





Umschreibung

Ee, 4





N. 82

AD  
VIRVM ILLVSTREM EXCELLENTISSIMVM  
ET EXPERIENTISSIMVM,

DOMINVM  
FRIDERICVM HOFF-  
MANNVM

CONSILIARIVM MEDICVM ET PROFESSOREM  
REGIVM SOCIETATIS REGIAE BRITANNICAE  
SODALEM CETERA

OR  
FILIVM OPTIMAE SPEI  
ERNESTVM FRIDERICVM

IN IPSO ADOLESCENTIAE FLORE NVPER EHEV.  
EXTINCTVM

*GRAVITER LVGENTEM*

EPISTOLA CONSOLATORIA

IOANNIS HENRICI SCHVLZE M. D.

ET PROF. P. ACADEMIAE N. G. COLLEGAE

ET

FRIDERICI HOFFMANNI FRIDERICI FILII

IN

FRATREM OPTIMVM TOTAQVE SVA VITA  
CONIVNCTISSIMVM

*ELEGIA.*



ALTORFII NORICORVM

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.





AD  
VIRVM ILLVSTREM EXCELLENTISSIMVM  
ET EXPERIENTISSIMVM

D O M I N V M  
FRIDERICVM HOFF-  
MANNVM

CONSILIARIVM MEDICVM ET PROFESSOREM  
REGIVM SOCIETATIS REGIAE BRITANNICAE  
SODALVM CETERA

ET  
FILIVM OPTIMAE SPEI  
ERNESTVM FRIDERICVM

IN IPSO ADOLESCENTIAE FLORENTISSIMO  
EXISTENTVM  
GRATIA ET FIDELITATE  
EPISTOLA CONSOLATORIA

IOANNIS HENRICI SCHULZE M. D.  
ET PROF. P. ACADEMIAE N. C. COLLEGAE  
ET

FRIDERICI HOPFMANNI FRIDERICI FILII  
IN  
PATREM OPTIMVM TOTIVS SVAE VITAE  
CONIVCTISSIMVM  
REGIAE

ATQVE  
TYTIS IOD. GAVIL. KOHNESH. ACAD. TYTOGR.







VIR ILLUSTRIS, EXCELLENTISSIME  
ET EXPERIENTISSIME  
DOMINE ARCHIATER, CONSI-  
LIARIE ET PROFESSOR  
CELEBERRIME,  
*FAVOR ET PATRONE*  
*PERPETVO OBSEQVIO COLENDE.*



Obsecro TE, Vir Illustris, Patrone optime ma-  
xime, quod tristitiam et lacrymas offenden-  
tibus mihiq; commouentibus litteris Tuis  
serius, quam decebat, respondeo, ne mihi  
des vitio. Tam me perplexum variisque  
curis implicitum reddiderunt TVAE litterae,  
et quaedam cum publica tum domestica ne-  
gotia, vt vix ad me redire potuerim. Adeone mihi nihil in hac  
vita iucundum accidit, quod non amari aliquid post se trahat.

† 2

Bone



Bone DEVS ! quanto mihi gaudio fuit, filium TVVM primogenitum, FRIDERICVM, domi meae videre, et eundem indies a reliquis grauissimi morbi, quae DEI est immensa gratia, optime conualescentem, quin paternae auitaeque virtutis documenta dantem, cum summa spe contemplari. Quoties ego gauisus sum, quando ad TE litteras salutis eius testes lactus obsignau! Quoties TE coram videre Illustris Academiae Fridericianae ad nostrae saecularia gaudia Legatum cum summa animi mei delectatione praecepi, amplexus sum, veneratus sum! Testes aduoco singulos collegas nostros, quam ego incredibili gaudio aduentum TVVM pollicitus sim, et quantum ad me redundaturum cum maximo gaudio honoris fructum vsuque prae me tulerim. At vero quam infidae sunt spes hominum. Vix praesagam mentem iniectis fraenis coerceram, ne quicquam sinistri, vt nihil dissimulem, de TVA valetudine, mihi super omnia curae cordique semper habita, suspicaretur, cum nondum finitis saecularibus gaudiis acciperem illas litteras, quibus de vera sed tristissima causa TVI ad nos praeter spem et opinionem dilati, quin, cheu! sublati aduentus reddebar certior. Verbis exprimere satis nequeo, quantopere me deiecerit isthaec TVA domestica calamitas. Ante animum obuersabatur optimi adolescentis ERNESTI FRIDERICI, moribus non solum humanissimis, sed pietati Christianae conuenientissimis, eruditioneque supra aetatem conspicua praediti, iactura, quam pater amantissimus, mater merito eius indulgentissima, frater sororque carissimi, amici et clientes fato praematurato vero amore et pietate illacrymantes, fecerant, flebant, lugebant. Omnium minime poteram ego, HOFFMANNIANA domus et disciplinae per tot annos alumnus, vel etiam volebam, dissimulare animi incredibilem aegritudinem, quae non contenta intimae mentis conscientia sentiri, foris etiam emicabat, seque coniunctissimo cuius amico, maxime autem illi, quem HOFFMANNIANI doloris participem iudicabat, primo statim tempore ostendebat. Nec obscure persensit, quantopere omnes TVVM moerorem luxerint, TVO luctu confecti sint. Nec vero aliud consequutus sum tanto molimine, quam vt intelligerem, TE, Vir Illustris et Excellentissime, cum familia Praenobilissima et eidem connexis amicis, vel clientibus, iustissime lugere: nihil autem, quod vel TIBI, vel singulis aequo iure lacrymantibus, aliquo modo aegritudinem animi eriperet, valebam exculperet. Accidit tandem, vt me aliqua cogeret necessitas vno integro die domo abesse, quo tempore cogitationibus



bus meis solus solis vacabam. Conscendi, fateor, curram, his ipsis, quae me antea angebant, cogitationibus onustus et omnino perturbatus. Sed quum me solitudo, diuinaeque prouidentiae cum omni veneratione considerandae contineret desiderium, coepi ita mecum tandem ratiocinari. Morte, fato omnibus expectando, abreptus est ERNESTVS FRIDERICVS HOFFMANNVS, iis annis eaque spe, quae parentibus et amicis optima quaeuis pollebantur. Dolor, fateor equidem, instabat, et lugendi grauem ostendebat materiem, sed quod facta mutari non posse praesciebam, animumque ad haec iam obfirmatum adtuleram, parum valebat. Ea enim conditione mortales hanc lucem conspicerem, vt vita illorum quibusvis casibus pateat, iam olim tot exemplis inter mortales summorum didiceram. Coepi igitur continere me, nec amplius, quid angere possit, sed quid solari debeat, cogitare. Quid vero potius solaretur, quam adolescentis optime nati, rectissime educati, tota vita pulcherrime functi, cogitatio. Testis ipsemet mihi eram, qualem se, quamdiu consuetudine eius frui contigit, inter mortales praebuerit, quo obsequio parentes amantissimos obseruauerit, qua pietate fratrem sororesque amplexus fuerit, quanta modestia et humanitate amicos quosuis coluerit, vt nemini in gratiam secum redeundi potestatem faceret. Haec ego non hominis, sed inclusi caduco corpori inter mortales tantisper versantis genii semper existimaui notas: quo magis ipsum obseruaui et colui, quia verebar, vt coeleste pignus terris diu interesset. An vero haec commemoratio potius lenire dolorem possit, aut potius vix coiens vulnus refricet, dubitarem sane, meque ab hac commemoratione reuocarem, nisi TE, Vir illustris, diu cognouissem, quam rectissime ex diuina Christianorum philosophia didiceris voluntatem votaue omnia vnus arbitrio, qui Dominus et pater est totius vitae nostrae, permittere, et omnium fidelium patrem Abrahamum imitari, qui iubenti DEO filium, quem senex susceperat, quem vnicum excolabatur, cuius egregia et florente adolescentia senii molestias solabatur, sacrificium immolare, suasque manus, quod summi obsequii in re difficillima documentum praebet, pulchrae, vnicuae, pia proli inferre non dubitabat. Atque adeo mihi quidem persuasum est ipsum illud, quod in hac re grauissimum atque tristissimum videtur, modo recta lance perpendamus, firmissimum praebere argumentum, quo mentem percussam erigamus et tranquillam reddamus. Liceat manere in illa pii patriarchae, quam semel instituimus, consideratione, cui TE, Vir Illustris, similem video, inter ipsos dolores,



dolores, qui ab homine et patre non possunt abfuisse, libenter concedentem DEO filium : ipsum autem , quem sibi depoposcit gratam sanctamque victimam , qua parte Isaac inferiorem dicemus tranquillo obsequio ? Quis ipsum e longinquo conspicientem subindeque animaduertentem quam prope ad metam itineris sui ad moueretur, vnquam vidit ob hoc tristem, aut, quod ad reprobendam victimam olim faciebat, ab ara refugientem ? Annon omnes, quos supremo morbo decumbens habuit, sermones animum diuinæ voluntati vnice acquiescentem testabantur ? anne etiam, quod maius est, cum lætitia et gaudio se ex hac vita, tamquam hospitio, emigrare et ad Christi sospitatoris conspectum pergere multis modis testatus est ? Quare nihil etiam est causæ, cur ipsius vicem doleas, cui nihil mali accidit, si pro caduca æternam, pro molesta vitæ fragilis sorte omnibus numeris felicitatis absolutissimam beatissimamque consequutus est. Quin immo nihil in beatissimi iuuenis ex miseriarum hac conualle discessu, quod non propitii Numinis clementissimum consilium patefaciat, tranquillo animo intuenti patebat. Placuerat DEO, isque cito ad perfectiorem vitam transferre illum decreuerat : fecit itaque mitissimo modo, Subduxit ipsum ex piæ matris, amantissimæque fororis, complexu et oculis, ne grauis luctus vehementiori impetu piæ animas concuteret : quoniam grauissima sunt vulnera, quæ mentem per oculos subeunt. TE autem, Vir Illustris, ipsi voluit discedenti præsentem, vt ne quicquam curæ, quæ aegrotanti debebatur, deesset, tanto medico, eoque parente, necessariis omnibus prospiciente ; tum vero etiam, vt coram perciperes, quanta cum alacritate itineri accinctus, diuinæ consolationis plenus, viatico mystico instructus ad meliorem vitam coelestiumque consortium præcuerit viam, omnibus suo tempore calcandam. Taceo plura in hoc casu a me animaduersa diuinæ prouidentiae documenta : sed non possum omnino suppressere illud, quod in remoto loco commode adfuerint, qui ipsius beatissimi filii TVAMque mentem pio et amico alloquio confirmarent et erigerent, quique iam defuncti curam fideliter suscipere atque peragerent. Singula hæc ita comparata puto, vt piis parentibus, etiamsi defecissent, non tamen præbuisissent supra modum sese torquendi satis iustam causam : cum tamen diuina prouidentia pridem hæc remouerit et anteuertit : quis non videt, quam legitimam minuendi suppressendique immodici luctus ansam præbere voluerit. Hæc fere sunt, quæ mihi serio et sæpe cogitanti afflictæ domus HOFFMANNIANÆ calamitatem,



tatem, visa sunt aliquid ad leniendum illum minuendumque do-  
lorem valere posse. Equidem, fateor enim, is non sum, qui TIBI,  
tanto rerum diuinarum humanarumque vsu et experientia subacto  
viro, sapientiaque maxima praedito, audere debeam haec subi-  
cere, quem per se longe melius ista callere persuasissimus sum: at  
vero malui importunior paullo et intempestiuo consilio officiosus  
videri, quam officio meo penitus deesse, quod pietas beate defun-  
cto, TIBI, nobilissimaeque familiae praestare cogit. Quod superest  
sancte testor me numquam desistere summum, quod res mortalium  
prouide moderatur, sibi que deditorum peculiarem planeque pa-  
ternam curam benignissime gerit, numen piis implorare precibus,  
velit a nobilissima domo TVA graues in posterum auertere casus,  
vt non solum recens vulnus feliciter coeat, sed laeta felicitate exo-  
ptataque fruentes TV, Vir illustris, cum dulcissima coniuge et sum-  
mae spei liberorum pare, aetatem in columes sospitesque agatis,  
laetoque et sereno felicitatis sole, hac tam graui tempestate discussa,  
diutissime vtamini. Nec me piorum votorum irritum fore multa  
sunt quae plenissime persuadent. Nouimus, diuini que oraculi cre-  
brioribus effatis confirmamur, Dominum atque DEVM nostrum  
solere quidem illos, quos praeter ceteros amat, subinde salutaribus  
plagis vulnerare, sed eorundem benignam curam non deponere,  
quin potius, pietate explorata et per ignem tristitiarum compro-  
bata, tolerantiae conspicuum pretium statuere, vt et ipsi antea af-  
flicti benignitatem eius cum dulcedine degustent, et alii his exem-  
plis moniti ad fiduciam et constantiam erigantur, ne vanum esse  
putent quod pietati propositum est huius et futurae vitae praemium.  
Hoc vero HOFFMANNIANAE domui DEVM pro sua benigni-  
tate tributurum esse tam mihi certum atque persuasum habeo, vt  
nullo pacto dubitationi locum relinquam. Vale. Scribebam  
Altorfii Norimbergensium a. d. VIII. Augusti. clo lccc XXIII.

Illustris Excellentissimique nominis TVI

perpetuus idemque obstetricissimus  
cultor

Io. Henr. Schulze, Med. D.  
et Prof. P.



# FRIDERICI HOFFMANNI

ad

Fratrem optimum totaque sua vita coniunctissimum

## ELEGIA.



Heu mihi quam fallax mortales ducere mentes

Spes valet et subito destituisse solet!

Lactus figebam visuris iubila VOBIS

Oscula, mille TIBI, millia multa PATRI

Iamque morae impatiens venturis obuius esse

Dum cupio decies Norica castra peto

Labitur haec inter tempus, sua iubila castae

Concelebrant musae laetitibusque vacant.

Nulla ratem pelago tantum iactauerit vnda

Quum saeuit boreas imperiumque tenet

Quam mihi tunc medios inter plaususque chorosque

Nunc spe, moxque metu mens agitata fuit.

Innotuit tandem quae TE remorata parentem

Causa fuit, quae TE frater abesse iubet.

Scilicet aethereum, TVA mens, quo venerat, orbem

Corporis effracto carcere contigerat.

Siccine quem tenero semper complexus amore

TU fueras fratrem linquere fratris erat?

Vos ego compello tristes durissima fata

Ingenuum iuuenem quid rapuisse iuuat?

Non matris planctus non vos gemitusque parentis

Atque soror nimium iam lacrymata mouent?

Vos testor quanti per vos ego causa doloris

His fuerim: et petitis vulnere corda nouo!

Ast ego quam surdis has moestus canto querelas

TE tamen, ah frater! non reuocare licet

Omnibus haec calcanda via est: vestigia certe

Inde reuersorum cernere nulla datur.

Quod superest nostrum, quae mors disiungere corpus

Haud eadem mentes has separare valet.

Dum viam memori TE semper pectore fratrem

Complexar vitae dimidiumque feram

Viribus hinc geminis, faueat modo candidus aether,

ERNESTVS nostris et FRIDERICVS ero.





Ua 933<sup>a</sup>

I. 4<sup>o</sup>

ULB Halle 3  
003 591 591









AD  
IRVM ILLVSTREM EXCELLENTISSIMVM  
ET EXPERIENTISSIMVM,

DOMINVM  
FRIDERICVM HOFF-  
MANNVM



DICVM ET PROFESSOREM  
SIS REGIAE BRITANNICAE  
LEM CETERA

OB  
OPTIMAE SPEI

M FRIDERICVM

STIAE FLORE NVPER EHEV.  
STINCTVM

TER LVGENTEM

CONSOLATORIA

RICI SCHVLZE M. D.

DEMIAE N. C. COLLEGAE

ET

FMANNI FRIDERICI FILII

IN

VM TOTAQVE SVA VITA

NCTISSIMVM

LEGIA.



RFII NORICORVM

KOHLESII ACAD. TYPOGR.